

In iunctum denuo scribendi, ut quaestionem meam bis interruptam tandem absolvam, capio a Georg. Ludov. Walchio et Carolo Réisigio, magistris meis pie colendis. Ille enim, Jac. Facciolatum secutus, in Emendationibus Livianis, Berolini 1815. editis p. 4. „Neque reperias, inquit, scriptorem, — in quo tot e vetustate adsumpta, vel ex imitatione Graecorum nove et cum periculo dicta insolens quid et peregrinum sonent“: hic eo libro, qui Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft inscribitur, edito a Friderico Haasio, V. D., Lipsiae 1839. p. 49. sic docet: „Livius hat zwar Beredtsamkeit und Feuer im Vortrage seiner Gedanken; allein was die Bearbeitung der Sprache selbst betrifft, so gilt darüber das Urtheil des Asinius Pollio, welcher selbst zu Ende der Republik, zu Zeiten des Augustus lebte, dass nämlich im Livius die Patavinität herrsche, der Provinzialismus der Gallia Cisalpina. Padua nämlich hatte allerhand Ausdrücke und Redensarten, welche fern waren von der römischen Urbanität.“

Cum iis facit C. J. Grysar, V. D., qui partes selectas librorum Livianorum edidit Vindobonae 1854. In praefatione voluminis prioris p. XXXVII. — XL. Patavinitate tacta liberiorique dicendi ratione historico-rum, Livio haud pauca, quae ad Graecorum consuetudinem dicendi revocanda sint, attribuit. Ex quibus, quae suppleant exempla a me Partic. I. proposita, nomino haec. Graecorum enim sunt particulae substantivis ita apposita, ut vim adjectivorum accipiant, veluti apud Livium VI., 21. „et adhortatio invicem totam pervasit aciem“, coll. Partic. I. p. 10. „circa omnia“: graecum est ap. Liv. VIII., 39. „bellum bellare hoc“, pro „bellum gerere“, sive „bellum pugnare“ ap. Horat. Od. III., 19., 4.: graecus est usus genitivi ap. Liv. V., 11. „trepidi rerum suarum, pro „de rebus suis“, et XXXVI., 31., quem eodem modo usurpavit Virgilius Aen. XII., 588. „apes

trepidae rerum“, et Silius, Livii imitator, XII., 13. „trepidus salutis“: graecus est accusativus ap. Liv. VIII., 35. „anxius vicem suam“, quocum conferas „sollicitum omnia“ Partic. I. p. 13. et Zumpt. Gr. §. 453.: graecae sunt particulae ap. Liv. XXXVI., 5. et alibi, „eum eo ut“, „ea lege“, „*άνα τοιςδε*“, de qua diximus Partic. II. p. 8., et „quam pro“, „*η γετά*“, ap. Liv. XXI., 29. et alibi, „proelium atrocius, quam pro numero pugnantium editur“, quam etiam Daniel. Vechnerus Hellenolex. p. 169. 170. Livio vindicavit: graeca est haec attractio ap. Livium I., 29. „raplīm, quibus quisque poterat, elatis.“

Praeterea Grysar, vir doctus in primis, in verborum latinorum delectu prisca et abolita, minus usitata, recens efficta adscribit Livio l. l. p. XXXVII. Quae nos, in simili re occupatos, revocant ad nova vocabula, quibus urbani non utebantur, Livius utebatur. Quorum natura ea est, quae sive novam terminationem, sive novam compositionem ostendat.

Fluctuatio terminationum cum in omnes Gallicos viros, tum in Livium maxime convenire videtur. Catulli enim carmen est ad Manlium scriptum LXVIII., in quo v. 18. „amaritiem“ sibi format ab „amaro“ Ciceroniano (de Finib. II., 12.), cuius loco apud Vitruvium est „amaritas“ (II., 9.), et apud Plinium „amaritudo“ (N. H. XXI., 21. prope fin. sect. 92). Cicero ipse fluctuat inter plebes et plebs, itemque Livius, sed si sequimur Palatinos codices, plebes apud Livium praferenda est. Cf. Drakenborch. ad Liv. I., 20., 6. Deinde promiscue modo aedes, modo aedis, quemadmodum caedes et caedis, clades et cladis, sedes et sedis apud Liv. legimus. Cf. Drakenborch. ad Liv. IV., 25., 3. Formae autem in „is“ exentes, quamquam antiquiores sunt, tamen neque apud Ciceronem, neque in aliorum libris inveniuntur. Plautus tantummodo „aedis“, Asin. I., 3., 67. ed. Gronov. usurpat. In agro Patavino igitur a rusticis, qui tenaciores antiquitatis, recentium incuriosi sunt, retentae esse videntur. Quare ap. Liv. nonnulla verba non unam tantum clausulam eamque insolitam et duram, sed duplicem et triplicem prae se ferunt. Cf. Schoemann ad Cic. de N. D. I., 34., 95. Triplici enim modo effertur satietas, sic ut dictum est XXVII., 49., tum saties XXV., 23., post saties XXX., 3. Tertia forma, Ciceroni incognita, peregrina, quae apud Plinium N. H. et apud Silium, Livii imitatorem, invenitur, injuria a Drakenborchio hoc loco rejecta est. Cf. Drakenborch. ad Liv. XXX., 3. et Lexie. s. v. „saties“.

Reliquae vero Patavinae, peregrinae saltem, formae hae sunt ap. Livium: **A**spreta, plur., quae inveniuntur IX., 24. et 35. XXXV., 28. XXXVI., 15., sunt saxis aspera loca sive confragosa XXVIII., 2. init. Cf. interpretes et Rhenanus ad Liv. XXVII., 49., 8. apud Drakenborch. **A**dhortator, „der Ermunterer“, II., 58., 7. „si adhortator operis adesset“ et saepius, veluti XXXII., 25. med., quo loco Gronovius „ad hos orator“ seripsit, quod Drakenborch. probavit quidem, verum non recepit. **C**asse „vergeblich“ pro „incassum“ XXIV., 26., 10. „casse ne tempus tereretur“. Cf. Fabri ad h. l. **C**lipeum genere neutro Liv. I., 43., itemque Virgil. Aen. IX., 709. dixit. Sed Asinius urbanus, ut testatur Charisius, „clipeum“ masculino genere posuit. Cf. Drakenborch. ad Liv. I. l. **C**onsulariter IV., 10., 9. „vitaque omnis consulariter acta“. Cf. Weissenborn ad h. l. **D**esuetudo I., 19., 2. „mitigandum ferocem populum armorum desuetudine ratus“ a Ictis postea recepta est. **D**iscrepatio X., 18. „quum ea ipsa inter consules P. R. discrepatio fuerit“, significat „discrepantiam voluntatis“, quae legitur ap. Ciceron. Top. 25. extr. **H**osticum pro „terra hostili“, „Feindesland“, invenitur ap. Liv. VI., 31. „Romano etiam in hostico morandi causa erat.“ VIII., 34. et 38. init. Adstipulatur Livio Plinius Panegyr. c. 29. ubi „ex hostico raptae messes“ sunt. Legiuncula XXXV., 49., 10. „videretis vix duarum male plenarum legiuncularum instar in castris regis“. Pro peregrinabundo XXVIII., 18. „non peregrinabundum tantum ducem Romanum in Africam trajecisse sese“, Cicero „peregrinans“ dicit. **A**ddictiva autem in „undus“ exeuntia frequentissima sunt ap. Liv., interdum adeo cum accusativo juncta, de quibus vide Grammaticam Zumptii §. 248. et Kreizneri Progr. p. 30. **R**ebellium „Kriegserneuerung“ XLII., 21. „qui deditis bellum intulisset et pacatos ad rebellium incitasset“ pro rebellione est, quae legitur ap. Liv. VIII., 14. Reprehensare II., 10., 3. „singulos reprehensans“. Crebrior autem apud Liv. usus est verborum frequentativorum, quae dicuntur, quibus, quae exprimitur actio, et iteretur et augeatur. Cf. Kreizner. Progr. I. p. 13. De servitudine, quae semel ap. Liv. legitur XXIV., 22., 2., quum solemnis forma „servitus“ sit, grammatici certant: fulcitur tamen a Festo. Cf. Fabri ad I. l. **V**ariatio pro „varietate“ invenitur XXIV., 9., 3. „eosdem consules ceterae centuriae sine variatione ulla dixerunt“.

Festino ad novas formas duplicates. Quas a Patavinis, ut graecae linguae cultoribus, sedulo cultas esse cum conjectura, tum usu docemur. Liv.

XXVII., 11., 5. (Cf. de Patav. Partic. I., p. 7.) Ejusmodi formae sunt: *interfari*, „*interpellare*“, „*interloqui*“ Liv. III., 47., 4. VII., 36. med. XXXII., 34. init. „*orsum eum dicere*, violenter Phaeneas interfatus non in verbis rem verti ait“, quo sensu etiam exstat ap. Virgil. Aen. I., 385. et Plin. Epist. I., 33. Cf. Drakenborch. ad Liv. III., 47., 4. *Praefloratus*, rara vox, quae legitur ap. Liv. XXXVII., 58. „*gloriamque ejus victoriae praefloratam ad Thermopylas esse*“, apposito synonymo ab eodem Plinio explicatur Panegyr. c. 58. „*summumque illud purpurae decus non nisi praecerptum praefloratumque transmittere*“: *praefloratus* igitur „*praecerto*“ sive *praerepto* respondet. Tum *circumarare*, „*arando circuire*“, „*umpflügen*“, qua sententia Liv. II., 10. „*agri, quantum uno die circumaravit, datum*“, eadem etiam Plinius major N. H. XVIII., 3. init. sect. 3. „*quantum quis uno die plurimum circumaravisset*“ usurpavit. Cum quo cognatione conjunctum est Livianum *obarare*, „*umpflügen*“ XXIII., 19., 14. „*et quum hostes obarassent, quidquid herbidi terreni (was von grüner Erde) extra murum erat.*“

Jam reliqua apud solum Livium inventa verba haec sunt: *Amigrare* I., 34., 7. „*sublatis itaque rebus amigrant Romam*“, cui simile est „*avolare*“: in optimis codicibus repertum non admodum Drakenborchii placet, quod veteribus in usu non fuerit: Bekkerus autem, Raschigius et Weissenborn non improbant. *Abequitare* XXIV., 31., 10. „*ut praetores inter tumultum pavidi abequitaverint Syracusas*“, legitur in optimis codic., Gronovius tamen et Drakenborchius „*adequitaverint*“ minus apte scripserunt. Cf. Fabri l. l. *Carnificare* XXIV., 15. „*carnificari jacentes*“, est in modum carnificis interficere, quod opponitur h. l. iis, qui celeriter hic illic, si qua datur occasio, vulnera aut mortem inferunt. Cf. Fabrium ad h. l. „*Animalia in animalia que codices constanter affirmant* XXI., 32., eaque Fabri reposuit defenditque in edit. sua libri XXI. XXII. contra Vallae „*inanima*“ et Gronovii et Drakenborchii „*inanimataque*“. *Intercursus*, „*das Dazwischenlaufen*“ ll., 29., 4. „*consulum intercursu rixa sedata est*“ et saepius. Cf. Weissenborn ad h. l. *Interturbatio*, „*die Verwirrung*“ XXIII., 8., 7. „*patre animi quoque ejus haud mirabilem perturbationem causante*“. „*In navigabilis Tiberis*“ V., 13. init. nobis in memoriam reducit „*innabilem undam*“ Ovidii, Metamorph. I., 16. *Jurejurare* XLI., 15., 11. „*praetores ambo in eadem verba jurejurarunt*“, legit Drakenborch. Crevierius tamen dubitavit, num hoc verbum ex hoc uno loco deformati miserum in modum libri in lingnam latinam

admittendum esset. „Per horrida situ stagna“ obvia sunt XXII., 16., 4., semigravis reperitur XXV., 24. 2. „aut sopiti vino erant, aut semigraves potabant“, denique semigermanus XXI., 38., 8. „utique obsaepa gentibus semigermanis fuissent“.

Sed de insolentia verborum satis multa diximus, ad constructionis insolentiam transgrediamur. De qua quum consentiant viri docti, qui sive in libris grammaticis rationem Livianam adscriperunt, sive in editionibus eam respexerunt, sive separatim eam persecuti sunt: satis habeo apponere Kreizneri, V. Cl., judicium, qui in Programmate saepius laudato sic scribit p. 16.: „In omni orationis structura, sive ratione, qua variae ejus partes inter se convenient, alterumque ab altero verbum mutatur, aliorum auctoritati Livius haud obnoxius, viam sibi propriam ingreditur“. Quod judicium tamen nimis late patere arbitror: recte quidem eo significari Ciceronis et Livii in stilo discrepantium magnam, coercendum tamen sic esse, ut Cornelius Nepos, Virgilius, Plinii, quod miro modo interdum cum Livio consentiant, de eo excipiendi esse videantur. De quorum consensu in certis quibusdam verbis nunc dicetur.

Mira est consensio Livii et Nepotis in non dubito. Cujus constans et perpetua constructio haec est, ut apud Nepotem infinitivum tum quoque sibi adsciscat, quum significet „ich zweifle nicht“: at Cicero, quando id, quod dixi, significat, conjunctione quin cum conjunctivo utitur, reservato infinitivo ad alterum ejus significatum „ich trage kein Bedenken.“ Lambinus hanc rem primum observavit observatamque in praefatione Nepotis pronunciavit. Semel tantum Cicero, quantum scio, in Epist. ad Attic. VII., 1. „Pompejus, inquit, non dubitat (vere enim judicat) ea, quae de republica sentiat, mihi valde probari“, infinitivo usus est ex confusione notionum propter „judicat“, quod proximum est. Noster autem Livius saepe cum Nepote sic insolenter loquebatur XXII., 55., 2. „neque enim dubitabant, deletis exercitibus, hostem ad oppugnandam Romam, quod unum opus belli restaret, venturum“: XXXVIII., 6. extr. „haud dubium erat, expugnari opera potuisse“: XXVIII., 24. extr. XXXVI., 41. init. Invito enim Livio, credo, accidit, ut interdum urbanitatis oblitus, patrium morem sequeretur. Cf. Drakenborch. et Fabrius ad Liv. XXII., 55., 2. Horat. Tursell. ed. Schwartz. p. 909.

Sequitur infinitivus generis passivi ad coepi adjunctus, qui vulgo ad „coepitus est“ adjungitur, cuius Livius, Nepos, Plinius (N. H. XVI., 44., 88.) rara exempla praebent. Nepos Epamin. 10. „postquam, ait, apud Cadmeam

cum Lacedaemoniis pugnari coepit“ (edit. Fischeri), cuius loco Bremius, V. Cl., *injuria „coeptum est“ collocavit*. Livius vero II., 1. scripsit: „si plebs agitari coepisset tribuniciis procellis“, pro quo Drakenborch. „coepita esset“ excendendum curavit. Idem iterum sic delevit hoc insolens vestigium XXVI., 46. „et porta intus forisque pariter refringi „coepit.“ Cf. Forcellini Lexie. s. v. *coepi*.

Consentit Livius cum Nepote in praepositione *cum*, quam inverso ordine et a Cicerone in Oratore suo 45, 154. improbato, uterque ante quibus, cui vulgo affigitur, ponere solet. „Cum quibus“ igitur apud Liv. legitur I., 45., 2. „cum quibus hospitia junxerant“, IV., 24, 2. „cum quibus spem integrum communicati non sint“, XXIII., 7., 2. VII., 34., 5. VIII., 2., 13. XLII., 1., 2. XLV., 39., 16. Etiam XXXVIII., 9., 2. multi codices „cum quibus“ praebent. Apud Cornelium Nep. hic ordo vulgaris est, ut videre licet Milt. I. „cum quibus armis erat dimicandum“, ad quem locum Bremius plura exempla adjunxit.

Porro ap. Liv. XXI., 33. in „assuetis juxta in via ac devia“, quoniam consentit Virgil. Aen. VI., 832. „ne tanta animis adsuescite bella“, „ad“ praepositio oppressa esse videtur, quae invenitur ap. Caesar. B. G. VI., 28. „sed adsuescere ad homines possunt.“ Cf. Fabrius ad Liv. I. 1.

Plinium vero Epist. IV., 13. Livio assentiri in formula: *sub conditione* VI., 40., 8.; et „*sub conditionibus his*“ XXI., 12., 4. pro qua sit apud Ciceronem: „ea conditione“, Krebsius Antibarb. ed. III., p. 745. in v. *sub*, auctor est. Unicus locus, qui in Ciceronis operibus repugnat, pro Arch. 10., e codicibus nuper emendatus est.

Postremo mira omnium Gallorum consensio est in constructione adverbii *propius* cum dativo, eo magis mira, quod Livius cognatis vocibus „*propior*“ II., 41., 11., „*prope*“ VI., 42., 10. et „*proxime*“ XXIII., 15., 1. jungat casum quartum, coll. Drakenborch. ad H., 41., 11. XLIV., 9., 5. XXII., 40. XXIV., 48. Num tamen ita semper accusativo uti voluerit, et omnia ubique ad hanc formulam exigenda sint, merito dubitari posse, contendit idem Drakenborchius ad XLV., 40., 4. Certe nonnullos extare locos, quibus dativus obtineat: XLIV., 40., 4. „*flumen erat haud magnum propius hostium castris.*“ XXII., 40., 5. „*propius Hannibali*“, in aliquot codd. Sic etiam Nepos Hannib. 8. „*propius Tiberi quam Thermopylis*“ insolenter loquitur. Cf. Bremius ad Nep. Hann. I. 1. Tum Plin. N. H. XXVII., 9. post init:

sect. 51. „quo propius mari fuerit“ scribit. Denique Virgilius monet Aen. VIII., 556. „propiusque pericolo It timor, et major Martis appetet imago.“ Ciceronem, qui „propius ab ortu“ Tusc. Disp. I., 12., 26. et „propius a terris“ de N. D. I., 31., 87. scripsit, alibi aliter scripsisse nusquam invenio. Cf. Handii Tursell. Vol. IV. p. 601.

Haec pauca, ne longi simus, exempla congruentiae, quam inter eos viros, in quibus recte Gallia Transpadana gloriatur, reperiri contendo, hoc loco sufficient. Quae si minoris momenti fortasse videantur esse, quam revera sunt, permagnus numerus eorum exemplorum caussa est, in quibus ab iis dissentire videtur Patavinus. Periodorum vel tortuosum ambitum (saepe etiam imperfectum), vel juncturae quaesitam negligentiam, similiter cadentia verba, bister, quater in brevi enuntiatione repetita, exprobrat Walchius Emendatt. Livian. p. 3., et Grysar paucis exemplis illustrat l. l. p. XL. Sed haec parva sunt: in tanto enim tamque amplio opere Annalium imperfecta remansisse nonnulla nemo magnopere mirabitur. Majus et ad hanc quaestionem convenientius id est, quod nominat Handius, Tursell. Vol. I. p. 93., insolenti praepositionum et peculiari usu Livium excellere. Quem locum quum Kreiznerus in Programmata suo fere intactum reliquerit, paucis eum persequar.

Non raro autem doctissimi editores nimia cura, ut qua trutina alios, eadem unicum Livium examinarent, propriam ejus indolem in his minutissimis particulis neglexerint. Exemplo est locus ille in Epit. I. „pontem sublicium in Tiberim fecit“, et I., 33. „sed etiam ob commoditatem itineris ponte sublicio tum primum in Tiberim facto.“ Veteres libri constanter „in Tiberim“ exhibent et ed. Alschesfski l. l. Attamen Drakenborchius, vir magius, „in Tiberi“ scripsit, quod Nepos Milt. 3. „pontem“ fecit in Istro flumine“, et Caesar B. G. I., 13. „pontem in Arare faciendum curat“ scripsissent. Sed quersum haec? Ut liberam potestatem Livii in praepositionibus esse demonstrem, non quo vituperem Drakenborchium, cuius studium, ingenium, industriam etiam atque etiam admiror, admirabor. Hoc autem cum Drakenborchio assevero, solum Livium scripsisse XXVII., 11., 8. „ex auctoritate patrum latum in plebem est plebesque scivit“, reliquos vero et Livium ipsum alibi (ll., 2., 11. ll., 4., 6.) dixisse „ferre ad plebem, ad consules“, cf. Drakenb. ad l.l.: itemque more suo dixisse XXXVI., 5., 3. „conciliatam satis apud regem gratiam“ et XXXIII., 46., 7. „quantam eo facto ad plebem inierat gratiam“, quum recepta formula sit „ab aliquo inire gratiam“, „sich bei

jemandem beliebt machen“, coll. Krebsio Antibarb. in v. gratia, p. 376. ed. III.: porro XXXVIII., 28., 6. „metus ad omnes valuit, ne deditonem recusarent“, sed Ciceronem pro l. Manil. 16. „potestis igitur jam constituere, hanc auctoritatem, quantum apud illos reges, quantum apud exteris nationes valitaram esse existimetis“: tum XXXVIII., 21., 7. „in quod (genus pugnae) minime apti sunt“, IX., 9., 11. „viris in arma natis“, et saepe alibi, ut monet ad h. l. Drakenborch., pro „aptum, natum esse ad rem“, sive pro „rei aptum, natum esse“, (nam Dativus et Livio et Ciceroni communis est, Liv. II., 23., extr.): deinde II., 13., 6. 49., 7. XXIV., 47., 11. „ad propinquos, ad parentes, ad Romanos restituere“, pro propinquis etc. restituere, et XXVII., 15. init. XXVIII., 22., 5. „se dedere ad aliquem“, pro se d. alicui, coll. Handii Tursell. Vol. I., p. 84.: tum XXIII., 25., 3. XXI., 41., 3. XXIV., 30. post in. „ad minores calamitates“, „ad famam hujus hostis“, „ad nuntium“, „auf das Unglück, das Gerücht, die Botschaft hin“, pro auditis calamitatibus, audita fama, auditio nuntio, qua de consuetudine a Ciceronis libris aliena vide Horat. Tursell. ed. Handii Vol. I. p. 101. et Fabrium ad Liv. XXI. 41., 3. et XXIII., 25., 3.: postremo ad cetera, ad omnia „zu dem“, „bei dem allen“ XXX., 1., 4. „bello quoque bonus habitus ad cetera, quibus nemo instrucior habebatur“, XXXV., 32., 4. „ad omnia — tantum advehi auri“, coll. Handii Tursell. Vol. I. p. 96.

Praeterea his formulis solus usus est Livius X., 25., 12. „in utrumque auctores sunt“, „für beides sind Gewährsmänner da“, cf. Handii Tursell. Vol. III., p. 314.: XXXII., 24., 7. „fide in haec“ sive ibid. 30., 8. „in id data“ et XXVIII., 17., 9. „accepta“, cf. Handii Tursell. Vol. III., p. 319.: X., 46., 7. „in primum (agmen) infestis hastis provolant“, cf. Handii Tursell. Vol. III., p. 333.: XLIII., 12., 2. „in incertum (eventum) decerni“ „aufs Ungewisse“, cf. Handii Turs. Vol., III. p. 334.: V., 34., 8. „in navibus profecti“ pro „navibus“, cf. Drakenb. ad h. l.: XXVIII., 2., 2. „ibi in cava valle atque ob id (pro „ideo“) occulta considere militem jubet“, quod recentioris aevi scriptores imitati sunt, ut testatur Handii Tursell. Vol. IV., p. 361.: X., 39., 8. „jam per omnia (pro „in omnibus“, „omnino“) ad dimicandum satis paratus“, cf. Handii Turs. Vol. IV., p. 447.

Ex his vero eluet, a Livio haec insolita non inventa esse ludibrido, sed serio posteris commendari tanquam hereditate tradita a patria. Quemadmodum igitur in Germania inferiori alias praepositionum usus, alias in

superiori est, sic antiquitus regio Patavina praecipue in his particulis a certa voce Romana abhorruisse verisimile est. Supersunt tamen alia exempla rara, in quibus Livius, ut variaret orationem, variasse praepositiones dictus est a Drakenborchio, veluti quum scriberet II., 46., 3. „pugna jam in manus, jam ad gladios, ubi Mars est atrocissimus, venerat“, sive quum scriberet XLIV., 9., 5. „horum inductio in parte simulacrum decurrentis exercitus erat, ex parte elegantioris exercitii, quam militaris artis“. Cf. Drakenborch, ad h. l.

Relicta structura postremo de declinatione Liviana dicendum est, cujus insolentia in flectendis et nominibus et verbis cernitur. Livii autem comites interdum etiam in hac re sunt rursus Nepos, Virgilius, Catullus. Attigit hanc rem idem Kreiznerus, V. Cl. I. l. p. 10. et 13. 14. Ego vero, ut in tota hac quaestione, sic etiam nunc in recensendis nominum formis a Cicerone proficiscar, qui genitivos plurales secundae declinationis nostrae in um in Oratore suo c. 44. et 46. aurium judicio superbo modo probari, modo improbari professus est. *Nepos praebet Agesil. IV., 1. ephorum, Livius XXXIX., 7. cistophorum contractum: nam contractas has formas diserte appellat Cicero l. l. §. 155. Noster Livius Celtiberum XXX., 8. et Celtiberorum XXX., 7. effert. De ducentum et octingentum XXX., 21., de tetrachmum Atticum XXXVII., 46., de talentum XXXVII., 45., utpote de neutris, de deum XXI., 4., duum XXIV., 19., liberum XXII., 22., item de fabrum Liv. I., 43. Nepot. Attic. 12., 4. consentit Cicero l. l.: sed de socium XXI., 17. et modium XXVI., 47. tacet: et nummorum XXXIX., 7. plane improbat Cicero, cujus locum nummum obtinuerit, nec in hoc consuetudo varia sit. Orat. c. 46. extr.

Accusativos tertiae declinationis nostrae navim et partim (coll. Drakenborch, ad Liv. XXVI., 46., 8.) hic non commemoro, quod Cicero iisdem utitur de Invent. II., 34., pro l. Manil. 7., 18.: neque ablativos imbrei XXI., 54. 56. praeter imbre XXI., 58. et igni I., 41. et saepissime alibi, nomino, nam Cicero eosdem praebet, „imbre“ Verr. IV., 40. et „igni“ Orat. II., 45. extr. Sed Livius ultra procedens eodem exemplo sibi format classi XXIII., 41., 8. (alii classe) cum Catullo Epithal. Pelei et Thetid. v. 212. et 53., et amni XXI., 5., 16., et sorti IV., 37., 6. XXVIII., 45., 11. cum Virgilio Georg. IV., 165. „quibus ad portas cecidit custodia sorti“. Cf. Drakenborch, ad Liv. l. l. Huc pertinet etiam Karthagini XXX., 9., 2. XXVIII., 26., 1. et saepius, sextus casus, formatus ut Lacedaemoni ap. Nepot. Praef. §. 4.

Vetus ablativus a Bremio ad Nep. I. dicitur. Ab altera parte invenitur ab Karthaginē I. l., ab Tarracone XXVI., 41. init., de cuius significatione cf. Handii Tursell. Vol. I., p. 10. 11.

Variat etiam usus in adjectivis ab urbium nominibus ductis, in quibus Cicero constanter I literam, veluti ex Arpinati Tusc. V., 26., Livius praeter hanc frequentiorem formam etiam E literam exhibet, veluti in Capenate agro V., 12., 5. Cf. Drakenborch. ad Liv. VIII., 12., 3.

Jam de ablativo singulari participiorum praesentis temporis praecepit Bentlejus ad Horat. Odar. I., 25., 17. claros scriptores, qui amicitia Augusti florarent, hunc casum in e, non in i, direxisse. Apud Livium utroque modo consentientibus codicibus formatur et „anno sequenti et in sequenti“ VI., 21., 1., „discrepanti editione“ IV., 23. init., et „differenteque et — dicente“ VI., 14., 13. Cf. Drakenborch. ad Liv. VI., 14., 13. et Zumptii Gramm. §. 64. adn. 1.

Inter omnes autem formas maxime eminet civitatum, quam in plerisque locis optimos codices semper praebere asseverat Drakenborchius ad Liv. XXXIII., 20., 11., quum ium clausula earum vocum sit, quae in nominativo pluralis paroxytona sint, et in quarto casu exierint olim in i s, ut „civitatis“ apud Nep. Conone V., 2. Eam Quinctilianus imitatus est multis locis: apud Ciceronem non exstat. Apud Livium autem eodem modo terminantur haec substantiva: apium, aetatum, hospitium, principium, simultarium, clientium, supplicium, de quibus vide Drakenborch. ad Liv. IV., 33., 4.

Est etiam dativus quartae declinationis nostrae in U formatus, quo non utitur Cicero, Livius et Virgilius utuntur. Plancus quidem ap. Cic. ad Famil. X., 24. „subito impetu (al. impetui) resistere“ scribit. At revera exstat ap. Virgil. Aen. IV., 158. „namque aliae victu invigilant“, et XII., 511. „curruque absenta duorum suspendit capita“. Quo loco constructio Virgilii etiam similis est Liviana I., 26. „suspēdere aliquem arbori“. Nam Cicero dicit „in oleastro suspendere aliquem“ Verr. III., 23. Dativi autem ejusmodi ap. Liv. sunt XXIV., 19., 6. inceptu, IV., 12., 10. „usu menstruo superesse“, VII., 2., 7. „Fescennino versu similem“, IX., 5., 6. „exercitu inermi“, XXII., 2., 11. „delectu dat operam“. Cf. Drakenborch. ad Liv. XXIV., 19., 6. et Kreizner. I. l. p. 10.

His adjungo genitivum plurale hujus declinationis V., 26., 5. „mille fere passum“ pro „passuum“, quam contractionem probare videtur Voss.

Gramm. IV., c. 18. Drakenborchius edidit „passuum“. Sed Virgilins Aen. VI., 653. „quae gratia curruum Armorumque fuit vivis“, in extremo hexametro scripsit per erasin: nec non Gellius N. A. I., 16. Lucilium facit dicentem: „Hunc mille passum qui vicerit atque duobus“ Lucilius autem propter stili negligentiam vituperatur ab Horatio urbano Sat. I., 14., 11. „quum flueret lutulentus, erat quod tollere velles.“

Antiquitus casus tertius quintae declinationis nostrae non modo in EI, sed etiam in E terminabatur, cuius declinationis exempla sunt IV., 17., 5. „propius est fide“, et V., 13., 5. pernicie ap. Drakenboreh. l. l.

Dubitanter his formis adiicio eas, quas ad formam quartae declinationis, quum plerumque secundae sint, expressit Livius: senatus consultus, cuius hi casus inveniuntur in quibusdam codd., nominativus IV., 55., 5. „senatus consultus fiat“, genitiv. VII., 40., 7. „nullius senatus consultus auctor“ et ablat. V., 13., 5. „ex senatus consultu“: I., 1. domu pro „domo“, plebisitu XXV., 7., responsu, inceptu, mandatu affert Drakenb. ad Liv. V., 13., 5. Ad formam secundae, quae plerumque quartae sunt, hae voces reperiuntur: profecto, mercato, delecto, senato, tribunato, apparato, anfractos pro „anfractus“, convento, adito, coll. Drakenb. ad Liv. I., 15., 7.

Aliquam insolentiam in verborum declinatione reprehendimus. Non loquor de antiquatis vocabulis, quoram rarissimus tum dénum usus est, quum vetustissimae legum, precum votorumque formulae proferuntur, cuiusmodi duellum, perduellis, adclarassis, defexit, cooptassint, duis sunt, quae Drakenborchius ad Liv. XXXVI., 2., 2. collegit, et dedier I., 32., 7., siris ibid., faxo VI., 35., 9., si faxitis XXIII., 11., 2. His etiam Cicero praecipue in libris suis de Legibus usus est. Majoris momenti in hac disceptatione contractae formae perfectorum aliorumque temporum, quae inde ducuntur, esse videntur: siquidem Virgilius Aen. I., 249. „compostus“ pro compositus, Catullus LXXVII., 3. „subrepsti“ pro subrepisti et Virgil. Aen. V., 786. adeo „traxe“ pro traxisse extulit durioribus verbis. Eandem notam cogimur apponere ad Livianum decreesse XXX., 40., 10. et decresset II., 27., 8. Illa enim hujus verbi contractio Livio solemnis est, ut animadvertisit Drakenborchius ad Liv. II., 27., 8. Nec respuit idem noritis, cognosse, scisse et consisse, descisse, sisce, quiesce, adsuerat, nequissent, conquisierunt, isse, exisse, adisse, inisse, perisse,

transisse, emostis, admosse, obtrisset, communisse, ut testatur Drakenborchius ad Liv. VI., 18., 10. Sic Livius contractionem verborum latinam graecae similem introduxit, cuius haec lex est, ut ejecta V litera ai in a, ei in e, ii in i, ie in i, oi in o coalescant. Cf. Kreizner. I. l. p. 13. Cicero, etsi nonnullos sic loqui „nosse“, „judicasse“ vetare, „novisse“ jubere et „judicavisse“ scripsit, tamen in hoc genere et plenum verbum recte dici, et imminutum usitate contendit in Oratore 47., 157.

Nec vero reprehenderim, inquit Cicero I. l., „scripsere alii rem“, etsi „scripserunt“ esse verius sentio. Illam igitur tertiam personam perfecti raro Cicero, Livius tam frequenter usurpavit, ut vulgaris apud eum forma esse videatur.

De reduplicata forma *cucurri*, quae remanserit nonnunquam apud Livium in praeteritis compositis, ut in *procucurrissent* XXV., 11., 3., *decucurrerat* I., 12., 8. *excucurrissent* II., 17., 2. exposuit Drakenborchius ad Liv. I., 12., 8. Eodem modo Cornel. Nepos Thrasyb. I., 3. praebet „*praecucurrerunt*“. *Nanctus pro „nactus“* plus quam semel sic est ap. Liv. XXV., 30., quam formam improbat Servius ad Virgil. Aen. I. 480., cf. Drakenborchium ad Liv. I. l.: *conseruisset* pro „*consevisset*“ X., 24., 5. „*quam arborem conseruisset*“ ab optimis codicibus et editoribus defenditur. Cf. Drakenborch. ad h. l. et Kreizner. I. l. p. 14.

A quarta verbi declinatione Livius ad tertiam transit in voce *oreretur* pro „*oriretur*“ XXIII., 16., 7. „*priusquam motus intus oreretur*“, quam, in optimis codicibus repertam, tamen non in textum recepit Drakenborchius h. l. Aliqua etiam auctoritate digna est vox *poterentur* Florentini cod. VII., 9., 7., quum „*vi potitur*“ ap. Virgil. Aen. III., 56. et „*poteretur*“ apud Catullum inveniantur, cf. Drakenborch. ad h. l. A secunda verbi declinatione transit *ad quartam* in *excibat* pro „*exciebat*“ XXXII., 13., 5. „*homines sedibus excibat*“.

Denique genera verbi confunduntur ap. Livium. Sic insolenter activum pro medio legitur: *confiderunt* pro „*confisi sunt*“ XLIV., 13., 7. „*agros eonfiderunt se tueri posse*“, cf. Drakenborch. ad h. l.: *adsentierant* XLI., 24., 19. „*qui literis regis adsentierant*“ Drakenborchius e bona codicum fide scripsit, nam vestigia hujus activi vel ap. Ciceronem de Offic. I., 16., 18. et ad Fam. I., 1., 3. olim exstabant, cf. Orellius ad l. l. Cie. et Quintil. Instit. IX., 3., 7. Tum mediae formae sunt pro passivis, imprimis in participiis per-

fecti, quarum longum recensum egerunt et Zumpt. Gr. § 632. et Kreizner. I. l. p. 14. Rarissimae autem sunt contemplatus XXX., 36. med. „a contemplato situ Carthaginis“, pro qua Gronovius „a contemplando situ“ invenit, Bekkerus recepit, et transgressus X., 27. init. „transgresso Apennino“, cf. Raschigii adn. ad h. l. Postremo medium genus pro activo est ap. Livium IV., 24., 2. „cum quibus spem integrum communicati non sint pro „communicaverint“, ad quem locum Gronovius: Utrum haec loquatio, inquit, Livianis temporibus, vel facilitati potius conveniat, judicium singulorum esto. Cf. Drakenborch. ad h. l.

Superata tandem hac etiam declinatione simul finem totius quaestionis de Patavinitate assecutus sum: eam enim insolentiores usum, quam qui urbanis auribus placaret, et graecorum et latinorum verborum, cum singulorum, tum conjunctorum, continere contendi.

Haec sunt ista *čōia*, peregrina et externa, quae doctos viros in Livio toties reprehendisse diximus. Cicero autem, qui „beatitudinem“ et „beatitatem“ „omnino duras“ appellavit de Nat. Deor. I., 34., 95., quid ille, si haec verba audivisset Liviana, dicturus fuisse? Itaque Asinii Pollionis ratio constat, qui in Titō Livio quandam Patavinitatem inesse putavit. (Quinetilian. Instit. I., 5. VIII., 1.) Nec mira ista res est. Etenim multo arctius illo vetere, quo Livius fuit, tempore, quam nostro recenti, loquendi modus cum vita, moribus et ingenio patris, patriae, popularium cohaesisse videtur. Quum enim cultura linguae nondum communis esset, nec constans quaedam loquendi norma, libris disseminata typisque expressa, quae nunc regnat, etiam tunc regnaret: quaevis regio, quaevis urbs, quivis homo, si quando loqueretur, ingenio suo in loquendo indulgebat.

Hinc idiotismi apud veteres naturales sunt, quia omnium sunt, atque idiotismi plerique provincialismi sunt, quod qui scribit certum quendam usum in scribendo sequatur necesse est, si scribere vult, quae ab aliis intelligantur. Quod quum in omnes valeat eujuscunque provinciae scriptores, valeat etiam in eos homines oportet, qui angulum Transpadanum, ab Urbe remotum, incoluerunt, quos in loquendo mirum quantum inter se consentire, dissentire a Cicerone probavimus. Ex quibus Livius, a Graecis in cogitando et dicendo profectus, utpote Patavinus (cf. Partic. I., p. 7.), maxime excelluit vocibus et formis, quae Romae non audirentur. Sic copiosior Cicerone ipso exstitit, ejusdemque arbitrium (de Orator. III., 12., 44.) plane evertit, quo quae Romae

observata, ea ubivis observanda essent. Tantum vero abest, ut propter haec verba peregrina Livium ut verbosum et negligentem accusemus cum Imperatore Caligula (coll. Sueton. Calig. 34.), ut laudibus eum ornemus propterea quod ubertate sua penuria et duritiae sermonis romani opitulatus sit: praesertim quem ejus oratio ad rationem et linguae leges directa et suopte ingenio praestanti temperata sit.

Errata:

- Part. I. p. 7. l. 29. pro „provincialis sermonis vestigia“ lege: „provincialia sermonis latini vestigia.“
Part. I. p. 14. l. 12. pro „conjunctionem“ lege: „praepositionem.“
Part. I. p. 15. l. 12. pro „insolentia verborum“ lege: „insolentia latinorum verborum.“
Part. II. p. 5. l. 21. pro „dein quam“ lege: „dein quum.“
-